



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rervm
Christianarvm Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helmestadi[i], 1671

Cap. II. Epistola Lugdunensium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

HAYMONIS HISTORIÆ

D. HAYMONIS
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
LIBER V.

CAPUT I.

De durissima persecutione Christianorum.

Igitur Sotheri Episcopo XII. ab Apostolis, succedit Eleutherius, XVII. anno Imperii M. Antonini Veri. Quo in tempore per multas Romani orbis provincias, & acclamazione vulgi, & seditione adversum nostros, dirissimæ persecutiones concitantur, ita ut martyrum multa millia per singula loca fierent.

CAP. II.

Epistola Lugdunensem.

Tunc servi Christi habitantes apud *Lugdunum & Viennam*, nobilissimas Galliae urbes, gravissimis tribulationibus affliguntur: quibus, ut breviter & raptim per omnia persecutionum genera concludamus, totis viribus congressus est inimicus. Et primo quidem domorum eis prohibetur habitatio: tum deinde usus balnearium: post etiam processus ad publicum: ad ultimum vetram publicus quam privatus locus. Sic denique injuria affecti clauduntur, verberantur, lapidantur & excruciantur: adeo ut singulas cruciatus species nemo possit exponere. Sed sustinent æquanimiter sancti, ut stabiles Christi columnæ: nec solum jam ferunt impetus, sed ultro etiam expetunt. Quidam autem infirmiores inventi, & invalidi, peccatis suis forsitan exigentibus, labuntur ferme

ferme decem: qui lapsu suo luctum ingentem relinquent
 Ecclesiæ, quæ de lapsibus nostrorum magis, quam de
 tormentis tristatur. Tunc adversus nostros, diabolo in-
 stigante, nova & capitalia mendacia plebs infidelium
 commentatur. Et comprehensis quibusdam servis pa-
 ganis Christianorum, extorquet ab eis tormentorum
 metu, quod & Christiani filios suos comedant, & ma-
 tribus & sororibus abutantur. Hinc apud omnes Chri-
 stiani execrationi habentur, præsertim apud eos, qui cle-
 mentius adversus eos agebant. Inter quos Sanctus qui-
 dam nomine, Diaconus Viennensis, & Blandina, nobilis
 fœmina, & Photinus venerabilis Lugdunensis Episco-
 pus, cum jam nonagenaria esset ætate, & præ languore
 ac senio magis deferretur ad tribunalia, quam ducere-
 tur, solvuntur martyrio, sicut gesta eorum habent. Pa-
 titur & cum eis Attalus quidam, cuius inter tormenta
 nobilis vox illa fuit, cum assarentur carnes ejus, & nidor
 adustæ carnis perfentiretur. *Hoc est, inquit, homines co-
 medere, quod vos facitis. Neque nos homines comedimus, ne-
 que aliud quid mali agimus.* Interrogatus, quod nomen
 haberet Deus, eleganter respondit: *Qui plures sunt, no-
 minibus distinguuntur; qui unus est, non indiget.*

C A P. III.

Epistola Lugdunenium.

Tanta autem beatorum martyrum humanitas erat &
 humilitas, ut frequenter martyres facti, post bestias,
 post ignes & laminas, nullatenus paterentur se *Martyres*
 appell-